



COLLOQVIVM DVODECIMVM

Persōnae: Mīles, Cornēlius, Mēdus.

Cornēlius viā Latinā Rōmā Tūsculum it. In viā Latinā mīles Rōmānus, quī ipse Rōmā Tūsculum it, Cornēlium post sē venīre audit.

Mīles, quī in sōle ambulat, fessus est, quia arma gravia fert.

Cornēlius dominus, quī equō vehitur, nōn est fessus, sed fessus est equus quī dominum gravem vehit. Itaque equus Cornēlii nōn currit, sed ambulat. Cornēlius nōn verberat equum suum fessum.

Mīles Cornēlium salūtat: “Salvē, domine! Equus tuus bonus est, nec solum tē, sed etiam mē portāre potest!”

Cornēlius virum armātum timet, quia ipse arma nōn fert; itaque mīlitem equum ascendere iubet: “Ascende! Hīc post mē sedē!”

Mīles equum ascendit. Iam duo hominēs unō equō vehuntur: mīles sedet post Cornēlium, Cornēlius ante mīlitem sedet.

Equus Cornēlii, quī duōs virōs gravēs Tūsculum vehere nōn potest, irātus hinnit: “Hihihī!” atque in viā cōnsistit.

Cornēlius equum ambulāre iubet: “Ambulā, eque!” Equus autem rūsus hinnit neque sē movet.

Mīles equum hinnire audit et Cornēlium interrogat: “Cūr nōn ambulat equus?”

Cornēlius respondet: “Quia unum tantum hominem vehere potest.”

Mīles: “Improbus est equus. Verberā eum!”

Cornēlius: “Equus meus probus est; eum verberāre necesse nōn est.” Cornēlius equum suum amat neque eum verberāre vult.

Mīles irātus clāmat: “Age, curre, eque!” atque equum gladiō verberat!



Equus perterritus currit, atque mīles ad terram cadit! Caput eius viam pulsat.

Cornēlius equum cōnsistere iubet, sed equus perterritus Tūsculum currit. Sextus, filius Cornēlii, quī ex ōstīo viam spectat, equum accurrere videt ac perterritus ab eō fugit. Equus cum dominō ante ōstium cōnsistit.

Mīles autem quiētus in viā iacet ut mortuus. Dē fronte eius sanguis fluit.

Dum mīles illic in sōle iacet, Mēdus advenit. Unde venit Mēdus?

Is Tūsculō venit et viā Latinā Rōmam ambulat.

Mēdus laetus canit: “Nōn via longa est Rōmam...”

Hīc Mēdus hominem in viā iacere videt et ante eum cōnsistit.

Mēdus sē interrogat: “Quis est hic vir quī in mediā viā iacet?” et ipse respondet: “Est mīles, nam armātus est.”

Servus caput mīlitis manū sustinet et, dum sanguinem dēterget, interrogat eum: “Quid est, amīce? Doletne caput?”

in mediā viā = in mediā parte viae